

VI

AD AGRIPPAM

*Asclepiadeo-Glyconicus*

Scrībēris Variō fortis, et hostium  
Victor, Maeoniī carminis ālite,  
Quam rem cumque ferōx nāvibus aut equīs  
Mīles, tē duce, gesserit.

Nōs, Agrippa, neque haec dīcere, nec gravem  
Pēlīdae stomachum, cēdere nesciī,  
Nec cursūs duplicis per mare Vlixēi,  
Nec saevam Pelopis domum

Cōnāmur, tenuēs grandia, dum pudor,  
Inbellisque lyrae Mūsa potēns vetat  
Laudēs ēgregiī Caesaris et tuās  
Culpā dēterere ingeni.

Quis Mārtem tunicā tēctum adamantinā  
Dīgnē scrīpserit ? Aut pulvere Trōicō  
Nigrum Mērionēn ? Aut ope Palladis  
Tūdīdēn superīs parem ?

Nōs convīvia, nōs proelia virginum,  
Sectīs in iuvenēs unguibus ācrium,  
Cantāmus vacuī, sīve quid ūrimur,  
Nōn praeter solitum levēs.